



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 162. Turbæ inter Eduardum Regem, & Varvicensem Comitem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CLXII.

*Turbæ inter Eduardum Regem, &
Varvicensem Comitem.*

Nunquam extremæ ruinæ Lancastrien-
sis Familia erat proximior, quam
eo ipso tempore, quo conclamata crede-
bantur omnia, & domi forisque nil ultra
humanæ spei, opisque reliquum videba-
tur; nihilominus salutem auxiliumve in-
venit in eo, qui olim omnium atrocissi-
mus ejus inimicus, jam miro fortunæ
lusu illius tutor, atque patronus evasit.
Is erat celebris ille Varvicensis Comes,
qui cum Eduardo similtates habebat.
Agebatur enim de futuro Regis connu-
bio, cum vero Eduardus inter plures sibi
oblatus Principes unice in Bonnam de
Sabaudia Carolinæ Galliarum Reginæ so-
rorem suos conjiceret oculos, Varvi-
censi Comiti datum est negotium, ut
Franciam peteret, hasque nuptias conci-
liaret: Neque defuit Comitis dexteritati
eventus optati prosperitas; quamvis e-
nim Margarita de Andegavia Henrici
conjug obstreperet, rem tamen eo dedu-
xit Comes, ut nil reliquum esset, quam
ut reditum expectaret Legati, quem
Ludovicus ad Eduardum, ut nuptialibus
tabulis subscriberet, in Angliam miserat.
Sed ecce! inopinatus in Franciam defer-
tur

tur nuntius, quod recens electus Angliæ ^{Sæcul. XV.}
 Rex jamjam connubio junctus esset, ac ^{A.C. 1465.}
 quamdam Nobilem duxisset viduam,
 quæ quondam conjux erat Joannis E-
 quitis de Gray, qui Henrici VI. vexilla
 sequebatur, atque altero ad S. Alba-
 num prælio occubuit. Hanc foeminam
 Eduardus venationibus intentus, haud
 procul a Grafonia urbe in ejus palatio
 invisit, tamque immoderato amoris æstu
 illam deperit, ut eam thori sociam seli-
 geret, quamvis ipsa aliis procis jamjam
 fidem suam obligasset, & Eboracensis
 Ducissa ejusdem Mater, ut filium suum ab
 ejusmodi nuptiis absterreret, nil inten-
 tatum relinqueret. Verbo: contrahitur
 matrimonium, nec ullæ, quas negotii
 gravitas deposcebat, solemnitates præter-
 mittuntur. Fremebat equidem totum
 Angliæ Regnum, nemini tamen hoc con-
 nubium magis molestum acciderat, quam
 Varvicensi Comiti; haud enim obscure
 cognovit, quod Rex ei illudere, illumque
 totius Europæ ludibrio exponere volue-
 rit, eoquod Regii Sanguinis Principem
 in Sponsam peteret pro Rege suo, qui
 tamen jamjam privatam quamdam foe-
 minam duxisset. Hæc prima fuere Re-
 gem inter & Comitem discordiarum se-
 mina, quæ nonnisi anno sequenti in gra-
 vissimas turbas aperte erumpebant.